

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Homine Corrvpto et Instavrato

Chamier, Daniel

[Frankfurt], 1627

Liber primus, De homine corrupto

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-885)

non ad bonum spirituale, & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam, & voluntatem. Ex his autem diversis, vel contrariis propensionibus existere in vno eodemque homine, pugnam quandam, & ex ea pugna ingenem bene agendi difficultatem, dum vna propensio alteram impedit. Et paulo post id ipsum appellat morbum, seu languorem naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur. Nihil affingo: sunt enim eius Sophistæ verba ipsissima: ex quibus, quis non concludat, a Deo creatum esse hominem, natura morbida, & languidum, atque habentem carnem, cum qua luctari perpetuo opus esset: Quod si à Manichæis nihil habet, unde esse potest? Ita qui contra nos sibi videntur plusquam lynces, in suis sunt plusquam talpæ.

XI. Et qui tamen tam male philosophatur, audeat Caluinum carpere, quasi nullam mentionem facientem supernaturalium donorum in hominis creatione, capite primo de Gratia primi hominis. Et quinto. Aduersarij, inquit, censent rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem, ita vt fuerit veluti quædam sanitas debita naturæ: aptaque nasci ex ipsa natura bene constituta, id est, non corrupta.

XII. Enimvero, inquam, hanc fuisse Adamo naturalem rectitudinem, ne ipse quidem negat Sophista, sed concedit, nimirum, quatenus erat à natiuitate, siue, vt ego interpretor, ab initio, siue vt Caluinus optime, ab eius conditione. Verba sunt, Institutionis lib. 1. ca. 15. §. 8. Animam hominis Deus mente instruxit, qua bonum à malo, iustum ab iniusto discerneret: ac quid sequendum, vel fugiendum sit, præcunte rationis luce, videret: unde partem hanc directricem, & regulam, dixerunt Philosophi. Huic adiunxit voluntatem, penes quam est electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, vt ratio, intelligentia, prudentia, iudicium, non modo ad terrena vita gubernationem suppetere: sed quibus transcederet usque ad Deum, & æternam felicitatem. Hæc Caluinus: & alia nonnulla in eam sententiam. Ast illam naturalitatis (vt ita dicam) explicationem à se profecto Bellarminus commentus est: à Caluino nunquam habuit. Neque enim huic mos ille, tam subtiliter inquirendi in statum primi hominis, de quo tam pauca in Scripturis exposita sunt.

C A P. II.

Statu Controversia de Peccato originali.

I. ERat ergo, à suæ creationis initio, purus homo, hoc est, sic factus, vt nihil in se haberet, quo Deo iniustus esset, eiusve condemnationi obnoxius. Deinceps vero in contrarium mutatus est: auersus à suo Creatore, meritoque suo damnabilis: qua de re differendum deinceps, & de causa damnationis primum, id est Peccato: tum de Pœnis.

II. Peccatum, Apostolus Joannes dixit esse *ἀνομιαν*, id est, *præuaricationem legis*, nimirum diuinæ, & æternæ. Distinguitur autem in Originale, & Actuale. Et Actuale quidem nomine comprehenduntur omnes transgressiones præceptorum, quæ sunt cum in omittendo, tum in committendo. Sic enim solent Theologi distinguere: quia præceptorum alia iubent, vt Deum coli, parentes honorari, proximos amari: & hæc, qui omittit facere, peccat. Alia vero prohibent, vt coli idola, blasphemari Deum, hominem occidi, furtum fieri, & similia: quæ qui committit, ipse etiam peccat.

III. Ast Actuale Peccatum, non omnes habent homines: sed ij tantum, qui & cogitare possunt, & cogitata perficere: cuiusmodi infantes non sunt, siue in vtero, siue recens nati, in quos tamen condemnatio extenditur: vt patet saltem ex infelicitate temporali, cui æque cum grandioribus obnoxij sunt: quam à peccato esse, vix quisquam dubitat. Quum sit autem Deus iustus: ergo nulla ab eo condemnatio est, nisi in fontes. Cum igitur condemnationis participes sint infantes, necesse est inferri, eos esse fontes, id est, peccati reos: qui tamen nondum quicquam egerunt mali, vt Paulus testator nono ad Romanos. Quare necesse est assignari aliquod peccatum, diuersum à peccatis illis, quæ vocauimus actualia: id originale iam pridem appellatum, quia est ab ipsa hominis origine. Et hæc tenus Catholicis Papistæ consentiunt, in doctrina de Peccato.

IV. Deinceps vero tres grauissimæ contentiones erunt de Peccato. Prima, quid sit Peccatum originale. Secunda, quale sit hominis liberum arbitrium in statu Peccati. Tertia, vt rum omnes homines sint peccatores. Et de prima quidem disputarunt Catholicis: Caluinus Institutionis lib. 2. cap. 1. & obiter lib. 4. cap. 15. §. 10. & seqq. Martyr in 5. ad Romanos, & Geneleos 8. Bullingerus Decad. 3. sermon. 10. Franciscus Junius in Theibus Theologicis. Zacharias Ursinus in tractatione locorum Theologicorum, capite de Peccato. Witakerus de Peccato originis contra Stapletonum. Joannes Scharpius de statu hominis sub peccato cap. 9. & sequentibus.

V. Papistæ, Albertus Pighius Controversia 1. Dominicus à Soto, de Natura, & Gratia, lib. 1. cap. 7. & seqq. Delphinus de Peccato originali. Joannes à Bononia lib. de Æterna prædestinat. Cunerus Petri in Controversiis statim initio. Andradius Explicationum orthodoxarum lib. 3. & 5. Defensionis Tridentinæ. Tapperus in Explicatione 2. articul. Bellarmin. de amissionem Gratia lib. 4. & 5. Salmero in 5. ad Romanos. Peltanus in disceptatione de Originis peccato. Didacus Aluares de Auxiliis gratia lib. 5. Gregorius de Valentia de Peccato originali. Vasques in 1. 2. disputat. 132.

VI. Catholicorum constans sententia est: Adamum peccando, tum sibi nocuisse, tum suis posteris. Sibi primum, cum iusto Dei iudicio priuatus est originali illa iustitia, quam habuit à sui creatione, ita vt nihil in eo esset non exactum ad diuinæ voluntatis regulam: ac proinde aptum ad æternam Creatoris fruitionem. Hanc vero priuationem statim coniunctam cum deprauatione omnium sui partium, vt non tantum non hæretet Deo: sed etiam ab eo auersus esset: & vno verbo, non tantum non iustus, sed etiam re ipsa peccator: haberetque intra se ipsum non tantum carentiam iustitiæ, cuius erat debitor, sed etiam fontem iniustitiæ, quam magnis suppliciis puniret iustus iudex.

VII. Hunc ergo ita corruptum hominem, genuisse filios ad imaginem, similitudinemque sui, vt diserte Moses testatur Genes. 5. hoc est, omnino tales, qualis ipse tum temporis erat, hoc est, post peccatum: non autem tales, qualis ipse erat creatus. Sicut aquilas non generant imbelles colubas. Peccatores ergo natos ex peccatore: eodemque modo peccatores,

quomodo virulenti serpentes ex virulentis serpentibus, & lupi rapaces ex lupis rapacibus. Itaque Cainum (vt hunc nomen exempli gratia) habuisse à parente, non id tantum vt esset nudus vera iustitia, sed etiam vt vestitus (si vestitum dicere licet) peccato: id est, auersione totali à Deo, unde postea pullulauit hypoerisis, insolentia, crudelitas, parricidium, quomodo ex lupis fiunt catuli, qui quidem non tantum non oues, sed etiam lupi sunt, hoc est, habent innatam illam feritatem, qua ad oues laniandas aguntur præcipites. Et quemadmodum hæc feritas, in iis vere feritas est, quamuis forte nunquam ouem, vel viderint, nedum laniarint: sic in Caino illa auersio vere erat peccatum, & est vere peccatum in omnibus infantibus, etiam si actus suos nondum exseruerit, aut etiam nunquam exserura sit, vt fit in iis, qui in vtero extinguuntur.

VIII. Papistæ variant: & quanquam vno consensu doceant, (verba totidem desinbo Delphini) formaliter esse in omnibus hominibus, communi propagatione venientibus in hunc mundum, originale peccatum: non eodem tamen modo, hanc tantam rem declarant: sed in eis verum est illud Terentianum; Quot capita, tot sensus. Hinc sane factum, vt in varias opinioniones, & sectas circa originale peccatum, distributi sint. Pighius etiam, quid sit ipsum peccatum originis, & in quo consistat eius propria ratio, Ecclesiastica definitione certum non esse asserit: itaque varias ante se fuisse, atque etiam, tum esse sententias, & litem adhuc subiudice. Andradius denique, non modo illustres Theologos laborare, sed etiam Concilium Tridentinum, cum definire peccatum originis vere esse peccatum vnicuique proprium, illius tamen propriam rationem consulto silentio inuoluisse, & ita liberum cuique, relictum opinari, dummodo vera peccati ratio integra conseruetur.

IX. Ex his tam multis sententiis, ego duas seligo: certe præcipuas. Nam alij consentiunt Catholicis, vt Bellarminus, Peltanus, Delphinus, Cunerus Petri, Aluares, Vasques, & nonnulli præterea. Et censent Peccatum originis ab illo primo Adami peccato proditisse: sed esse aliquid ab eo diuersum, quod in nobis hæreat, atque adeo esse in nobis veri hominis peccatum. Hæc summa: alij tamen aliter explicant. Nam Bellarminus in Peccato considerat ipsum actum, & id quod ex eo actu formaliter manet in anima: eaque duo ita distingui, quemadmodum calorem, & calefactionem. In Adamo vtrumque fuisse realiter: in nobis, actum illum Adami, non nisi imputatiue: at qualitate ex actu, realiter. Itaque primo sensu, Peccatum originale esse primam Adami inobedientiam, ab eo commissam, vt totius humanæ naturæ gerente personam, in quo peccauimus omnes. Secundo autem modo, esse carentiam doni iustitiæ originalis, cum habituali auersione à Deo, & obliquitate voluntatis, resultante suo modo ex inobedientia actuali primi parentis. Cunerus diserte: Hoc est iuxta Patres, quod originale Peccatum dicimus, iniquitas videlicet, & ex Adam contracta impietas, & iniustitia, prauaque hominis dispositio, qua perperam, & male in Deum, & creaturas affectus est, auersus à Deo, & ad seipsum, & creaturas inordinate conuersus. Longum esset omnes percurrere.

X. Ast alij in Adami posteris nihil inhærens agnoscunt, quod Peccatum originale dici queat. Antesignani fuere, Albertus Pighius, & quorum scriptum nullum vidi, Hieronymus Osorius, Ambrosiusque Catharinus, testibus Bellarmino, & Aluares. Iis adhæsit Iesuita Alphonsus Salmero. Nam hi peccatum originale nihil agnoscunt, nisi ipsissimum illud Adami Peccatum actuale, propter quod, tum ipse, tum eius posteris omnes rei sunt coram Deo. Sic puto, quomodo olim apud Athenienses, ij qui supplices interfeceant, *ἐκείνοι τε σὺν ἡμῖν, καὶ ἀληθεῖς οὐκ ἔστιν, καὶ τὸ ἴδιον τὸ ἀπ' ἐκείνων*, vt notat Thucydides primo, & vt olim Judæi Jeremia 31. vulgo dicebant, *Patres comederunt viam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*. Itaque Aluares testatur ab iis infantes dici peccatores extrinseca denominatione.

XI. Pighius, non *ἀπὸν διαφθῆ*, Peccatum in originale, & actuale, vt alij, sed in originale, & personale. Actuali enim opponit, non actuale, quod sola actionis carentia committitur, illud scilicet, quod vulgo peccatum omissionis dici solet. Personale interpretatur id, quod est cuique proprium. Vnde conficitur, Peccatum originale, non esse cuiusque proprium, sed vnum idemque omnibus commune. Itaque, *relinquitur*, inquit, *unicum illud esse peccatum, ipsius nempe originis nostræ, hoc est, Adæ, quod sonat vocabulum: & non suum vnicuiusque, proprium. Quanquam etiam vnum illud, nostrum quoque sit, vt in quo vno, etiam nos omnes, etiam priusquam essemus, qui peccare possemus, suo quodam modo peccauimus tamen, & peccati illius vinculo, & reatu constringimur*.

XII. A Pighio mutuatur Salmero ferme etiam vocabula, disputat. 46. in Epistol. ad Roman. Breuiter attendendum est, illud ipsum peccatum, quod fuit in Adam actuale, id est, inobedientiam eius ligni vetiti, in nobis esse originale. Et postea, peccati veram diuisionem esse asserit, in Peccatum actuale, id est, cuiusque proprium: & originale actuale commune omnibus. Nam quamuis Pighius diuidat in Originale, & Personale, & Salmero in Actuale, & Originale actuale: tamen nihil est in re discriminis, cum vterque consentiat originale esse commune omnibus: illud autem quod originali *ἀπὸν διαφθῆ*, siue Personale dicatur, siue actuale, esse proprium cuiusque.

XIII. Hæc illi. Nobis primo excutienda sunt Catholicorum argumenta: tum istorum, vt rem non parui momenti constituamus in tuto: in qua olim grauissime Pelagiani peccarunt, negantes funditus, vllum esse hominis peccatum, nisi ad imitationem Adami, & nasci omnes cum iisdem naturæ viribus, quas Deus Adamo tribuerat in creatione. Ab his Pelagianis differunt Pighius, & Salmero in speciem potius quam re ipsa. Sed ergo de re agamus.

C A P. III.

De prauitate humane naturæ.

I. Catholicis certis argumentis docent, ipsi humanæ naturæ inesse corruptionem, seu prauitatem cuiuslibet homini propriam, aliam ab actibus peccati. Secundo, etiam nascenti homini cuiuslibet eandem inesse. Tertio, eandem ab Adamo ortum ducere, & per propagationem deriuari in posteros. Nam hæc tria capita continent vniuersam Peccati originis naturam: itaque, iis demonstratis, nihil erit reliquum factum.

si, itaque posse etiam damnari propter alienam iniustitiam, is vero non videtur comparari valde diuersa. Nam damnatio est a iustitia, salus autem a gratia. Nam si esset etiam ipsa a iustitia, non posset nos aliena iustitia seruare: quare ne aliena quidem culpa damnare.

VIII. Ieremias cap. 1. Priusquam te formarem in utero, noni te, & antequam exires de vulua, sanctificauit te. Ergo, inquam, Ieremias in utero erat pollutus: nam id sanctificari dicitur, quod erat non sanctum, id est, pollutum. Non enim potest homo simpliciter dici non sanctus, tantum priuatiue, quomodo quæcunque sunt irrationalia, sed positiue. Quemadmodum surdus, cæcus, mutus, in homine non simpliciter significant non audientem, non videntem, non loquentem, sed positiue significant vitium oppositum perfectioni humanæ. Sic morbus, non simpliciter priuatio est sanitatis, sed etiam positio qualitatis contrariæ. Ideo, sicut qui sanitati restituitur, præsumitur fuisse æger, & cui auditus, visus, loquela restituitur, significatur fuisse surdus, cæcus, mutus, sic qui sanctificatur, eo ipso designatur fuisse pollutus. Si autem Ieremias ab utero pollutus fuit, ergo & omnes infantes, non enim potest dari causa diuersitatis.

IX. Est & certissimum argumentum à Circumcisione, & Baptismo. Nam circumcidi iustos infantes in lege Veteri constat. In Ecclesia Christiana baptizandos esse non minus certum, ut alibi docemus, & consentiunt aduersarij. Iam autem Circumcisio, signaculum erat iustitiæ fidei, teste Apostolo ad Roman. 4. At iustitia fidei est per Christum, Christus autem venit saluare peccatores. Itaque necesse est eos qui circumcidebantur, fuisse peccatores: alias non fuisset circumcisio signaculum iustitiæ fidei.

X. Baptismus autem institutus est, tum ad penitentiam, tum ad remissionem peccatorum, utroque autem modo necesse est significari in eo qui baptizatur esse peccata. Nam penitentia est in singulis dolor ob sua ipsius peccata, & remitti cuiquam aliena peccata, non est auditum inter Christianos. Quum igitur infans per baptismum obligetur ad penitentiam; omnino concipiendum esse eius aliquod peccatum. Item quum offertur ei remissio.

XI. Denique omnis homo est peccator in se ipso. At omnis infans est homo. Ergo omnis infans est peccator in se ipso. Assumptio per se patet. Maior probatur Psalm. 62. Tantum sunt vanitas, filij hominis, mendacium filij viri. Psalm. 116. Et ad Roman. 3. Omnis homo mendax. Perspicua testimonia. Nam mendax, non significat peccatum alteri cuiquam inherens, quam ei cui id nomen tribuitur. Tum autem notanda hyperbole prioris loci; qui hominem dicit & vanitatem, & mendacium, ut non tantum significentur actus mendacij singuli prodire ab homine, sed ipse potius homo habere in se ipso featuriginem eorum actuum. Quod ne cogitari quidem potest nisi admittatur in se ipso corruptus.

XII. Idem probatur ex isto loco Pauli, 3. ad Roman. Omnes peccauerunt, & destituerunt gloria Dei, iustificauerunt autem gratis, eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo. Item 3. ad Galat. Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Nam ex ipsis vocabulis constat hæc axiomata esse vniuersalia, tum autem ex rebus ipsis. Non enim dictum duntaxat omnes peccasse, sed additum, destitui gloria Dei, nimirum, ut certum sit, omnes eos, qui destituerunt gloria Dei, etiam peccasse. At pueri destituerunt gloria Dei. Pueros ergo peccasse necesse est. Rursus additum, iustificari gratis eosdem, qui peccauerunt, & destituti sunt gloria Dei. At infantes, etiam gratis iustificari, solennis Christianorum fides est.

C A P. V.

De Propagatione peccati.

I. Est ergo non nuditas tantum, sed etiam corruptio in homine, eoque non adulto tantum, sed etiam infante. Nunc vero vnde? Dixere Pelagiani olim ab imitatione: Catholici à propagatione. Et certe alterutrum necessarium. Imitationem illi dixere, qui alios asserebant ab aliis peccati imitationem haurire, quomodo colloquia praua, solent bonos mores corrumpere. Quæ ratio in infantibus nullo modo locum habere potest, qui nullius imitationis sunt capaces. Cum ergo necesse sit peccatum aut ab imitatione esse, aut à propagatione, & non sit in infantibus ab imitatione: concludendum, aut nullum esse in infantibus, contra quam probatum est, aut esse à propagatione.

II. Sed idem Scriptura confirmat fortius. Iob 14. אִתִּי מִיָּמֵי מִטְמָא מִיָּמֵי יָמֵי. Quæ verba varie sunt conuersa hæcenus. Nam Septuaginta, Τίς γὰρ καὶ οὐκ ἐστὶν ἡ σὰρξ ἀπὸ τῆς σαρκὸς; ἢ οὐκ ἐστὶν ἡ οὐσία ἀπὸ τῆς οὐσίας; ἢ τίς ἐστὶν ἡ ψυχή ἀπὸ τῆς ψυχῆς. Quis enim mundus erit à sordè? Nullus, etiamsi vna sit dies vita eius in terra. Et in eum sensum crebro legas apud Veteres, non Græcos tantum, sed & Latinos vetustiores. At Latina editio, quæ nunc vulgata dicitur, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? utroque modo longe disceditur a verbis. Sed & a sensu: Græce tamen magis. Verius, Quis dabit mundum ex immundo? Nemo. Diserte. Primo enim, neminem posse dare mundum. Ergo omnes esse immundos, certum. Sed ex immundo, manifeste propagationem significat, non posse fieri, ut qui ex immundo nascitur, ipse sit mundus.

III. Psalm. 51. Dauid de se ipso, En, in iniquitate natus sum: & in peccato souit me mater mea. Hæc de se ipso Dauid. Et illa iniquitas, illudve peccatum, non potest intelligi, nisi vel parentum, vel ipsius Dauidis. At non parentum. Nam primo, is Psalmus continet confessionem ipsius Dauidis pro se ipso, non autem pro parentibus, itaque ἀπερὸς διόνους fuisset mentio peccatorum parentum. Deinde, subiicitur paulo post, Expiauo me hyssopo, ut mundus sim. Nemo autem postulat purgari à peccatis non suis. Tertio: hæc iniquitas parentum referenda esset ad ipsam Dauidis natiuitatem, aut conceptionem. Non enim recte diceret, exempli gratia, Roboam, in idololatria natus sum, etsi Salomon pater eius fuerit idololatra. At in natiuitate Dauidis, certe nullum fuit parentum peccatum, non enim peccat mater, dum edit in lucem puerulum. An igitur ad conceptum? Atqui conceptus est ex legitimo matrimonio. Deinde, si tantum in conceptu peccarant parentes, ergo

falso diceret, se natum esse in peccato. Omnino igitur intelligendum de peccato ipsius Dauidis. At de nullo tamen actuali, ergo de originali, si autem id in Dauide verum fuit, ergo & in omnibus, nulla enim dari potest ratio diuersitatis.

IV. Ioannis 3. Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod genitum est ex carne, caro est. Caro significat hoc loco corruptionem peccati. Probat, quia sermo Christi est de regeneratione, ad quam non pertinet caro, pro ipsa substantia corporis. Nam regeneratio hominem purgat à peccato. Ergo sensus est: Quicquid genitum est ex carne, peccato corrupta, ipsum est caro corrupta peccato. Itaque sensus est manifestus. Nam primo omnes Adami nepotes, nati sunt ex eo corrupto. Deinde non possunt excipi infantes, nam si exciperentur, ergo non esset vniuersalis propositio. Tertio, natiuitas, ipsam illam propagationem significat, de qua nunc agimus: nempe eo ipso quod quis nascitur ex peccatore, peccatorem esse.

V. Affine est illud Pauli, ad Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, ut & reliqui. Nam natura, non est nisi propagatione. Si ergo omnes natura sunt filij iræ, & natura est à propagatione, sine dubio omnes sunt propagatione filij iræ. Nec aliud idem sibi vult Apostolus 11. ad Rom. Si nonnulli rami defracti sunt, tu vero cum esses oleaster, insitus es pro ipso. Et paulo post, Si tu ex naturali excisus es oleastro, & præter naturam insitus es in veram oleam.

VI. Ad Roman. 5. Per unum hominem peccatum introit in mundum, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccauerunt. Nam usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum vero non imputatur cum nulla est lex. Regnavit autem ab Adam usque ad Moysen, in eos quoque qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adam, qui est typus illius, qui erat futurus. Et post, Per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi. Nihil manifestius. Nam mundum ab Apostolo appellari homines, vix momentum: cum paulo post homines exprimat, & multos peccatores constitutos, ut vera horum verborum peccatum introit in mundum, explicatio sit, multi peccatores constituti sunt. Multi autem, non quasi non omnes, sed comparate ad vnum illum. Cum igitur id propagari dicatur, quod ab vno aliquo ortum, in multitudinem indiuiduorum diffunditur, certe ab Adam vno in multos homines diffusum peccatum, omnino dicendum est propagatum. Et exemplo mortis illustrari potest: nam mors ab Adam transit in posteros, non imitatione, sed vera propagatione: nascimur enim omnes cum conditione moriendi. At vero Paulus mortalitatem docet esse ratione posteriorem peccato, ut causam effecto, id est, ideo transisse in omnes homines mortem, quia peccatum introierit in mundum. Omnino ergo necesse est, eadem propagatione, qua mors transit in homines, transeat & peccatum. Si enim peccatum tantum imitatione, & non natura: Ergo peccatum vere erit posterius tempore, ea conditione moriendi: ac proinde ne ratione quidem prius. Præcipue, cum etiam infantes moriantur. Nam si nullum esset peccatum nisi imitatione, & infantes nihil imitari possunt: Ergo infantes morerentur, ante quam vllum esset in eis peccatum. Ac proinde nec re, nec ratione peccatum, in illis mortem præcederet.

VII. Illud etiam non omittendum, per vnius inobedientiam multos esse constitutos peccatores, ἀμαρτωλός: quod vocabulum in Scripturis sumitur, pro iis in quibus est vera peccatum contrarium legi Dei, hoc est, non pro dispositione, siue potentia aliqua remota, quæ potest in hoc vel illud inclinare, sed pro potentia propinqua, quæ exerit actus suos, quoties commodum est Lucæ 5. Discede à me, ὅτι ἀνὰ ἀμαρτωλὸς εἰμι: nam homo peccator sum. Domine: aiebat Petrus, qui tamen tum temporis non peccabat. Sed ita dispositio erat, ut in se ipso habitum haberet peccandi. Sic Matth. 9. Non veni ut vocarem iustos, ἀλλὰ ἀμαρτωλὸς. Sed peccatores ad resipiscientiam: Et alias sapissime. Vno verbo. Nunquam ἀμαρτωλός dicitur de simplici reatu, & absque villo vitio aut peccato. Ergo, cum dixit Paulus multos esse constitutos peccatores per vnius inobedientiam, nihil aliud intellexit, nisi eo Adami peccato, effectum esse, ut omnes homines re vera, & in sese peccatores essent.

VIII. Quod inde confirmatur, eum dixit, mortem regnasse, etiam in eos qui non peccarant, ad similitudinem transgressionis Adami. Nam ita perspicuum sit, ab eo peccatores distingui in duos ordines, vnum eorum qui peccant ad similitudinem transgressionis Adami, & alium eorum, qui peccant quidem, at non ad similitudinem transgressionis Adami. Nimirum quia Adamus non fuit origine siue propagatione peccator, sed suo tantum peccato, id est, δὸς τῆς ἀπειρηγμένης βελήσεως: & omnes qui actualiter peccant, sic peccant, nimirum δὸς τῆς ἀπειρηγμένης βελήσεως: ac proinde peccant ad similitudinem transgressionis Adami. Alij autem quid? Nempe non ita. Nam propagatio non est ex præcedente deliberatione, itaque non ad similitudinem transgressionis Adami, & peccant tamen: ergo non sola imitatione.

IX. Bellarminus tres aduersariorum solutiones colligit, contra hunc locum. Primam: Peccatum ingressum in mundum, scilicet, quia Adami peccatum primum fuit, quum antea nullum esset: ac proinde primum cœpit esse peccatum in mundo, quo modo credo, tum aduenire dicuntur birundines, cum sese primum aliqua eorum ostendit, quam reliquæ sequuntur ἄσπιτος. Secundam: peccatum originale, à Paulo appellari peccatum κατὰ γενεάν, pro effectis peccati, ut morbis, atque adeo morte ipsa. Tertiam: Ingressum peccatum, non propagatione, sed imitatione. Hæc tamen tertia, re vera quid à prima differat, ego quidem non video. Non enim negatur peccatum re vera ingressum in mundum, neque alia ratione asseritur ingressum, nisi aut imitatione, aut propagatione. Itaque prima solutio negans propagationem, omnino relinquit imitationem.

X. Verum nihil est difficile. Primo enim probatum est capite tertio humanam naturam vere esse corruptam peccato in singulis indiuiduis, etiam infantibus capite quarto. At id esset falsum, si Paulus doceret peccatum ingressum in mundum duntaxat, quomodo grues in orbem nostrum, propter primam aduenientem. Tum enim nihil esset corrupti in singulis. Secundo valde impropria esset loquutio, Per inobedientiam vnius peccatores ἀμαρτωλοὶ constituti sunt multi: Nam neque εἰ ἀμαρτωλὸς, dicuntur nisi corrupti: neque τὸ κατὰ γενεάν, de eo quod ipsum nihil agit sua vi, sed duntaxat exemplum est agendi. Tertio, si mors propter peccatum introit, & peccatum non introit, nisi exemplo Adami, tum omnino mors non debuit aliter introire, id est, non aliter ex Adamo mortalem quæquam nasci, ut ex eo ducatur moriendi coaditionem: ac proinde nemo mori, nisi postquam re ipsa

remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione munde- tur, quod generatione traxerunt. Araucani secundi Canon primus, Si quis per offensam pravaricationis Adæ, non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicitur hominem commutatum, sed animam libertate illa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium. Pelagij errore deceptus, aduersatur Scriptura. Canon secundus, Si quis soli Adæ pravaricationem suam, non & eius propagini, asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ poena peccati est, non autem & peccatum, quod mors est anima, per unum hominem in omne genus hu. nanum transisse, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo.

C A P. VII.

Argumentum Pighij contra Catholicos.

I. Hactenus pro Catholicorum sententiâ argumenta fuerant. Nunc ordine examinanda, quæ à Pighio proferuntur, & Salmerone. Pighius disputat, peccatum originale nullam esse humanæ naturæ corruptionem, sed ipsissimum actuale Adami peccatum, in quo sese ei comitem addit Salmero.

II. Primum argumentum. Si hominis natura est corrupta: Ergo vel animæ, vel corporis. At neutrius. Ergo, hominis natura non est corrupta. Consequentiâ ratio. Quia naturæ prauitas, ortum habet, ex partium prauitate. Nam si omnes naturæ partes sunt integræ: Ergo & tota natura. Probatur assumptum, per partes. Primo de Corpore. Nullum corruptum est tale, quale componitur à suis principiis, & compositionis ratione. At corpus tale est, quale est à suis principiis, & compositionis ratione. Ergo non est corruptum. Probatur assumptum. Quia corpus hoc habet à suis principiis, & compositionis ratione, ut sit corruptibile, ac mortale, & feratur in ea quæ sibi sunt amica, suaui, ac delectabilia, etiam si aduersentur iustitiæ, cuius per se capax non est. Secundo, qualecunque sit corpus, nulla in eo aut prauitas aut corruptio imaginari potest, Deo odibilis, prius quam illi infundatur anima. Ratio, quia Deo nihil displicet, quam peccatum, & iniquitas, cuius corpus sine rationali anima capax non est.

III. Secundo de Anima. Si anima est corrupta. Ergo vel à sui creatione: vel à corpore. At neutro modo: Ergo non est corrupta. Probatur assumptum per partes. Primo de creatione. Nihil corruptum creatur à Deo: At anima creatur à Deo: Ergo anima non est corrupta. Secundo de corpore. Nihil materiale, & corporale per se agere potest in immaterialem, indiuisibilem, immortalemque substantiam. At corpus est materiale, & corporale, ergo per se agere non potest in animam, quæ est immaterialis, indiuisibilis, immortalis.

IV. Respondeo: Naturam significare alias essentiam cuiuslibet rei, alias vero, facultates qualitate seu manantes ab essentia. Sic in coruo natura, etiam nigredinem comprehendit. Sic quod apud Athenæum lib. 1. legas, τὸ πρὸς μὲν οὖρον, Dalechampius vertit, unguenti vim, & gratiam. Tertullianus libri de Anima cap. 32. Aliud est substantia, aliud natura substantia. His ita politis, dico, Hominis naturam ita esse peccato corruptam, ut intelligatur ipsa essentia, nemini vnquam dictum esse Catholico, sed solis, si forte, Manichæis. At corruptam esse naturam, quatenus facultates naturales intelligi possunt, hoc vero est, quod asserimus. Itaque negatur assumptum, quo ponitur, neque animam esse corruptam, neque corpus. Nam corruptio ista peccati originalis est in vtroque, sic diserte asserente Concilio Araucano secundo, dum anathema pronunciat negantibus hominem totum, id est, secundum corpus & animam in deterius commutatum.

V. Ad primum argumentum de corpore respondeo distinguendo. Maior em veram, si intelligatur id, quod corruptum est in sua essentia non esse tale quale erat à suis principiis & compositione. Atque hoc sensu argumentum non pugnare contra Catholicos, qui essentiam hominis corruptam non asserunt, vt iam dixi. Quod si corruptio intelligatur de facultatibus, tum rursus significabitur, vel Nullum corruptum in facultatibus esse tale in essentia, quale à suis principiis, compositioneque, quod est aperte falsum. Nam diaboli, quoad essentiam sunt iidem qui prius, & tamen quoad facultates corrupti, vel nullum corruptum, quoad facultates esse tale, quoad eandem, quale à suis principiis & compositione, ac tum præter argumenti φλυασιαν, assumptio enim falsa est.

VI. Ad argumentum, quo probatur tale esse corpus, quale à suis principiis, & compositione: Primo, quod dicitur habere corpus à suis principiis & compositione, vt sit mortale, ac corruptibile, distinguo: per potentiam propinquam, aut remotam. Nam per remotam cõceditur, vt semen ligni potest esse nauis: Sic enim creatus est homo à Deo, vt compages illa animæ & corporis dissolui posset aliquando, cui simile nihil est in Angelis. At per propinquam negatur. Sic enim Deus hominem ex suis principiis composuerat, vt nihil in eo esset, quod vergeret ad interitum ante peccatum. Alioquin non esset mors per peccatum ingressa in mundum, sed ante peccatum iam fuisset in mundo: Nec recte negaretur Deus fecisse mortem: Quod tamen diserte legas Sapientia primo: Deus mortem non fecit. Etiam si autem postea sit factum corruptibile, non sequitur tamen, ita fuisse à suis principiis, & compositione. Nam &, quamuis postea peccato fuerit vitiatum, nemo tamen dicat, ita fuisse à suis principiis, suaque compositione.

VII. Secundo, negatur corpus hoc habere à suis principiis, suaque compositione, vt feratur ad ea, quæ iustitiæ repugnant. Primo, quia nullum corpus ita creatum à Deo est. Nam quæcunque corpora ad aliquid feruntur, quatenus corpora, ea feruntur vi sua naturali, quam ipsis Deus indidit, ac proinde non contra iustitiam. Sic grauius deorsum, sic leuia sursum, sic animata, ad suam perfectionem. Et si quæ sunt ἀνεξίτητοι, eas Catholici credunt esse à peccato, iuxta illam sententiam Genesios 3. Maledicta terra propter te. Itaque ἀνεξίτητοι illa non est simpliciter à corporibus, quatenus corpora sunt, sed à corporibus aliquid passis, propter peccatum Adæ. Atque hoc ipsum, non contra iustitiam, quia à Dei iussu.

VIII. Deinde agimus de corpore humano. Hoc autem non creatum est à Deo simpliciter corpus, sed corpus humanum, hoc est, vniendum animæ rationali. Itaque sine dubio sic creatum, vt apte vniatur eidem, id est, obediret imperanti. Quare ineptum est, quod additur, non esse capax iustitiæ.

Et si enim verum sit, corpus in sua materia, & profus destitutum animâ rationali, nullius iustitiæ esse capax, tamen, cum nobis de hominis corruptio- ne quæstio sit, & corpus anima vacuum nullum sit homo: Ergo considerandum ita corpus, vt veniat semper in mentem vnio eius cum anima: quantumuis agamus de proprietatibus corporis distincte siue facta, siue postmodum faciendâ, & quidem cum certa dispositione corporis ad eam vnionem, quomodo dicitur materia appetere suam formam. Hac ratione David, se nõ tantum dicit in iniquitatibus natum, quod non fuit, nisi post animam vnitam corpori, sed etiam in peccato conceptum, quod fit ante eam vnionem.

IX. Ad secundum argumentum de corpore, negatur, nullam esse in eo qualitatem odibilem Deo, priusquam anima infundatur. Cur non enim? Cum sit brutus, puta serpenti bus qualitas venenata, lupis crudelitas ingenta, etiam ante quam vllam habeant facultatem locomotiua, id est, a primis instanti generationis? At, inquit, corpus sine anima rationali non est capax iniquitatis. Imo, inquam, illud ambigue dicitur. Nam vel actum dicis, vt sentis sit, corpus quandiu est sine anima, non posse esse iniustum. Et sic conceditur. Sed nihil ad rem. Nam ne lupus quidem eo sensu, capax est feritatis ab ipso conceptionis initio, cum nondum habet animam animalem, & tamen in lupo etiam tum homines odere crudelitatem, & in serpente venenâ. Quod si intelligas absolute corpus non esse capax iniustitiæ, ita vt nullam habeat dispositionem ad eam, id insigniter erit falsum. Nam, quemadmodum lupi embryo, quia lupi, capax est crudelitatis, & quidem potentia, non remota, sed propinqua: Serpenti etiam ouum, capax veneni, ita & hominis embryo capax peccati, quia appetit animam rationalem, quæ & in ipso corpore, & cum ipso corpore, & per ipsum corpus peccatura est. Itaque non frustra Scriptura carnem pro corruptione peccati nominat. Nam et si fateor eo vocabulo intelligi non solum hominis corpus, sed totum hominem, constantem corpore & anima, tamen constat id nominis sumptum esse à corpore, vel disertius, à natura corporis. Quod vix mihi quisquam persuadeat frustra esse factum. At si nulla esset in natura corporis capacitas peccati, id est, iniustitiæ, siue dispositio ad iniustitiam, quam ineptum esset, ab ea potissimum parte iustitiam denominare?

X. Jam de anima: Illa, inquit Pighius, neque à sui creatione corrupta est, neque à corpore. Magna quæstio, & iam pridem serio agitata, vnde sit corruptio animæ humanæ, & in qua vel maxime spatiantur, qui nihil volunt Scripturis credere, nisi quantum oculis propriis vident. At Catholici, facile patiuntur in sacris eloquiis esse aliquid sibi ἀναντιδραστον: in quo necesse sit pendere simpliciter ab autoritate dicentis. Itaque, et si agnoscant non esse omnia liquida, siue in origine animæ, siue in propagatione peccati: tamen firmiter credunt, & nullatenus dubitant animam esse originaliter corruptam à peccato, quod quocunque modo transeat, trausit tamen ab Adamo in posteros omnes. Augustinus Epist. 28. Quæcunque eligenda est nimirum sententia de animæ origine) absit vt impugnet hanc fidem, de qua certi sumus, omni anima, etiam paruuli infantis, necessariam esse liberationem ab obligatione peccati, eamque nullam esse nisi per Iesum Christum, & hunc crucifixum. Quo exemplo, & nos oportet sobrie in hæc arcana inquirere.

XI. Sed corrupta non est (inquit) anima, vel à Creatione, vel à Corpore. Hoc vero, inquam, negatur. Nam à sui quidem creatione non corrupti, sanus quilibet cõcesserit. Certum enim, nihil à Deo corruptum creati. Sed corrupti à corpore, quis negare potest? Augustinus apud Lombardum libr. 2. distinct. 31. Ipsa concupiscentia est lex membrorum, vel carnis: quæ est morbidus quidam affectus, vel languor, qui commouet illicitum desiderium, id est, carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur. Quæ dicitur in carne manere, non quin in anima sit, sed quia per corruptionem carnis in anima sit. Et statim post subnectit Lombardus, In concupiscentia, & libi, ne concipitur caro formanda in corpus prolis: vnde caro ipsa quæ concipitur, in vitiosa concupiscentia polluitur, & corrumpitur, ex cuius contactu anima, cum infunditur, maculam trahit, quæ polluitur, & sit rea, id est vitium concupiscentiæ, quod est originale peccatum. Et ex Ambro. Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per conditionem offensiuam, manet in corpore, robur tenens diuina sententia date in Adam, cuius consortio anima maculatur peccato.

XII. Imo, inquit, nihil materiale & corporale agere per se potest in animam. Per se, inquam: nimis auare id quidem. Nam ego longe liberalior, qui nego quicquam agere posse per se in animam rationalem, excepto vno Deo. Nam ne Diabolus quidem per se egit in Euam, quam tamen præcipitavit in peccatum, sed per suasionem, itaque causa fuit Euæ contumpeñdæ, tum secundum corpus, tum secundum animam. Quid tum autem, si nõ per se agat corpus in animam, dum aliquo modo? Is autem modus, est Contagium. Et quidem tanto potentius, quanto actius anima corpori vnitur, nimirum hypostaticæ, & vnitur ipso creationis momento, non enim ante existit quam vniantur. Esse autem huius contagij vim magnam, quotidiana testatur experientia. Nam si anima est forma hominis, & omnes homines suat æque homines. Ergo omnibus hominibus eadem est animæ natura. Et tamen, quæ ad eam animæ naturam pertinent, videmus pro variis corporum temperamentis variari. Certe, ingeniositas ad animam pertinet: melancholia ad corpus, & tamen celebratur in scholis illud, melancholicos esse ingeniosos. Potest ergo aliquid corpus in animam. Et, vt ne discedamus à re nostra, Scriptura describens primum hominis peccatum, à corporis sensibus initium facit: Vidit quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulcrum oculis aspectuque delectabile: Genesios 3. vt inde ad animæ facultates progressus intelligatur. Cum igitur tum temporis anima à creatione pura, non minus, quam quæ quotidie creantur in vtero, consenserit corpori, atque ita fuerit corrupta, quid mirum, si & quæ in vtero creantur, ipsæ sponte consentientes corpori corrupto, corrumpantur etiam? Porro quod corpus agit in animam per contagium, non agit ipsum per se, sed per ipsam animam, quæ consentiens corpori, ipsam se corrumpit. Sic mala contubernia corrumpunt bonos mores, nempe, quia paulatim consensum generant, vt non ipsi nebulones per se ipsos corrumpant bonum, sed ipse se bonus corrumpat sese volens scienisque, id est, consentiens. Alioquin huius corruptionis nullum crimen esset ipsius corrupti.

XIII. Secundum Pighij argumentum, est contra corruptionem dotium animæ. Nam eas dotes distinguit in essentielles, & superadditas, illas, quæ pertineant ad ipsam animæ essentiam: has autem non necessario contentas ab ea essentia: nec necessatio profucentes ab ea: quæque possint salua inte- graque

graque ea essentia adesse & abesse. Animam igitur, si corrupta sit, vel harum, vel illarum ratione, corruptam esse. At neutrarum. Ergo, non esse corruptam. Assumptum probat per partes. Non ergo corruptas dotes essentialis: quia ipsa anima interisset: quod est absurdum. At neque superadditas. Alioquin corruptionem esse vel negatiuam, vel positiuam. Et negatiuam appellat nudam priuationem qualitatum bonarum, quae erant in anima praeter eius essentiam. Positiuam autem, inductionem qualitatum malarum, & contrariarum bonis, quae prius inerant. At corruptionem nullam esse negatiuam. Primo, quia si nuda esset priuatio qualitatum additarum; Ergo anima ipsa non esset corrupta. Deinde ea: qualitates essent ablatæ vel à Deo, vel ab homine. At neutrum: non enim verisimile ab Adamo. Non etiam à Deo, quia esset autor peccati. Sin autem priuatio sit positiua: Ergo habitus prauus inducitur in animam, habent causam positiuam. Itaque vel Deum, vel Diabolus, vel Adamum. At non Deum: quia is esse non potest causa vitiatorum. Non Diabolus, qui in animam Adami immediatè agere non potuit. Quod si Adamum: ergo vel eo momento, quo primum peccauit, vel postea. At non eo momento: quia non possit fingi, quidnam fecerit, quo hos vitiosos habitus produxerit. Non postea: quia statim post peccatum, admonente, corripienteque Domino, ad cor reuersus peccasse se doluit, & egit salutarem penitentiam.

XIV. Respondeo, rursus meras coniecturas, ab humana ratione ductas, opponi Scripturæ. Quod tam indignum est Christiano, quam Ethnico dignum. Ad rem ipsam: dico multipliciter peccari. Primo enim posse corrupti dotes essentialis, id est, prodeuntes ab essentia: absque interitu tamen animæ. Imo nullam essentiam aliter corrumpi, quam per eas dotes: si tamè corruptionem distinguamus ab interitu: quomodo nunc animam hominis, nõ interisse, sed tantum corruptam dicimus. Sic liberum arbitrium, sine dubio dōs erat essentialis animæ, id est, prodeus ab eius essentia: id tamen corruptum esse constat: quia, cum ab initio liberum esset tum ad malum, tum ad bonum; deinceps factum est tantum liberum ad malum. Sic sanitas corporis dōs est, prodeus ab ipsa corporis essentia. Et morbus est corruptio corporis. Sic visus est qualitas oculo essentialis: & potest tamen visus hebetari, vt tamen oculus non perierit. Itaque, concidit primum Pighiani dilemmatis cornu.

XV. Iam de superadditis dotibus, longe facilius negotium. Si corruptio est tantum negatiua; Ergo, inquit, anima non est corrupta. Monstrum conclusionis. Implicat enim contradictionem. Nam si ponimus, Corruptionem esse aliam priuatiuam, aliam positiuam: certè corruptio priuatiua erit corruptio. Quod si est corruptio, ergo aliquid sit corruptum necesse est. Quid ergo? Nempe vel anima, vel dotes. At non dotes: nam illæ si auferuntur, perent. Ergo anima: non enim potest dari tertium.

XVI. Pergit. Si est priuatio: Ergo ablatæ sunt dotes. Fateor. Sed si ablatæ; Ergo aliquis abstulit. Imo vt concedatur consequentia, quid tum? Vel Deus, inquit, abstulit, vel Adam. Esto. At non Deus. Cur non inquam? Quia esset causa peccati. Per accidens, inquam: hic vero quid absurdi? Rursus, non homo. Imo, inquam, homo, quia ipse sua culpa amisit, quod habuerat. Itaque & Deus abstulit: & homo. Deus, vt iudex: homo, vt peccans.

XVII. Tertium Pighij argumentum, Si peccatum originale est corruptio naturæ: ergo tot erunt peccata originalia, quot sunt homines nascentes. At hoc falsum: Ergo & illud. Probatur assumptum argumento gemino. Primo: Si essent tot peccata originalia, quot homines: Ergo singuli infantes haberent suum proprium peccatum. At hoc falsum. Probatur. Quicumque habet peccatum proprium, est sub lege. At nullus infans est sub lege: Ergo nullus infans habet proprium peccatum. Probatur assumptum: quia nullus infans habet vsum rationis. Secundo: Quia Paulus clarissime confirmat vnicum esse peccatum originis: nempe illud ipsum Adami, ad Rom. 5. vbi semper vni peccato originis, id est, Adæ, imputat mortem, & damnationem, quæ in omnes grassata est. Verba sunt, *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnus hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Iterum. Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Item. Si enim vnus delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratia, & donationis, & iustitia accipientes, in vita regnabunt per Iesum Christum.* Rursus, *igitur, sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem: Sic & per vnus iustitiam in omnes homines, in iustificationem vita. Sicut enim per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita & per vnus obedientiam Iusti constituentur multi.* Vides (inquit Pighius) vt perpetuo Apostolus, & constantissime vni peccato vnus Adæ acceptum referat mortis regnū, & damnationis iudicium, sub quo omnes conclusi sumus. Vnum, & vnus peccatum, dicit, cuius demerito omnes mortui sumus. Ex vno illo vnus peccato, latam in omnes damnationis sententiam. In illo, non in nobis, peccasse omnes: ideoque in illo, non in nobis, fuisse illud peccatum, quo peccauimus omnes. Vnius illius inobedientia, non sua propria, peccatores constitutos multos. Qui per ætatem sub lege nondum existentibus, sua inobedientia potuerunt peccatores fieri?

XVIII. Respondeo, esse cuiilibet homini suum proprium peccatum originale. Itaque esse vnicum tantum in singulis: sed in multis multa: Quum peccata actualia, non sua tantum sint singulis: sed etiam vnicuique multiplicia: ac proinde non tantum in omnibus; sed etiam in singulis multa. Corruptum igitur fuisse Cainum: corruptum Abelem: Sed non eodem peccato indiuiduo; vt idem numero peccatum Abelis, corruptio fuerit Caini: sed tantum idem specie. *In peccatis, inquit, concepit me mater mea. Se conceptum dicit; & conceptum à matre sua: non à matre omnium. Nam certe Eua non dicitur concipisse Dauidem.*

XIX. Quare in argumento, quo probatur, non esse infantibus vllum proprium peccatum; negatur assumptum; quod asserit, nullum infantem esse sub lege. Nam quod additur: nullum infantem habere vsum rationis; hoc verum quidem est: sed falsum, nihil esse sub lege, nisi quod habeat vsum rationis. Hoc potius verum: Quæcunque habent rationem, ea esse sub lege. Certum autem, infantes habere rationem: alias non futuros homines. Itaque esse sub lege: saltem suo modo: nempe originaliter: quia in id concepti, vt legi Dei obsequantur actualiter, quum ad vsum rationis venerint: ideoque, si iam tum à conceptione, ita sint, vt quum ad eum vsum venerint, non

obsequantur; imo non possint obsequi ei legi: esse originaliter peccatores; id est, corruptos.

XX. A Paulo autem doceri vnicum esse numero in omnibus peccatum originale: hoc vero insigniter falsum. Nam contra. *Per vnus inobedientiam peccatores constituti sunt multi: eodem capite. Peccator autem est, qui ipse habet peccatum suum: non autem cui alienum imputatur. Tẽm autem illud est vehementissimum: ad Rom. 5. τὸ ἕνα τῆς ἀπειρίας τῆς σαρκὸς ἔχθη εἰς ὅσα. Nam τὸ ἕνα τῆς ἀπειρίας, absque vilo dubio, suum cuique est proprium: ac proinde numero multiplicatur in infinitum.*

XXI. Nec contra est quicquam capite quinto. Nam in eo Paulus de initio tractat humanæ damnationis: quod certum est manasse ab vno illo Adami peccato, per quod constituti sunt peccatores omnes homines; ideoque obnoxij damnationis, & morti. Itaque illa oppositio; *in illo, non in nobis: illius inobedientia, non sua propria quisque, non est a mente Apostoli; sed à Sophistæ commento.* Non enim subalterna repugnant. In Adamo peccauimus omnes: quia Adamus primus peccauit: & inde initium factum peccati in omnibus hominibus: at in nobis etiam peccamus: quia eius peccato constituti sumus peccatores: id est, ab eo in nos peccatum propagatum. Et illius inobedientia eodem modo sumus omnes constituti peccatores: quo nostra etiam propria iam vere sumus peccatores: alioqui falsum esset, nos illius inobedientia constitutos esse peccatores.

CAP. VIII.

Argumenta Salmeronis.

I. Salmero disputat prolixius; illud ipsum peccatum, quod fuit in Adam actuale, id est, inobedientiam eius vetiti ligni, in nobis esse originale. Et primo subternit axiomata duo: Vnum; Peccatum, siue culpam, longe distingui à pena. Culpam omnem esse voluntariam: penam inuoluntariam. Culpam à solo homine ratione prædito proficisci, non à Deo; at penam, à Deo. Itaque nihil, quod pena tantum rationem habeat, esse peccatum originale. Alterum. Originale peccatum, vere esse peccatum; & culpæ imputabilis rationem habere. Quicquid autem proprie peccatum sit, & culpæ rationem habeat, id oportere esse actum, & quidem voluntarium.

II. De quibus axiomatis pauca: non enim magnam habent controuersiam. In primo, pena & culpæ distinctio, rationis est, non rei. Nam inter Theologos certum est, vnum idemque esse posse & peccatum, & penam peccati; quæquam varia ratione. Ideoque peccatum nullum esse à Deo; non simpliciter dicunt, qui bene loquuntur: sed addunt, quatenus peccatum: nam quatenus rationem habeat pena, idem quod rationem habeat peccati, à Deo esse, disputatum est tomo præcedenti. Alterum omnino verum est: & præbet certum argumentum, quo doceamus peccatum illud actuale Adami non esse peccatum originale. Omne peccatum, est actum. At peccatum originale est peccatum: Ergo peccatum originale est actum. At peccatum illud Adami non est actum: quia delictum esse: Ergo peccatum illud Adami non est peccatum originale. Contra tamen Salmero disputat: expendamus argumenta.

III. Primum argumentum; quia illi peccato Adami conueniunt planius & suauis, omnes peccati proprie accepti conditiones, & proprietates, & nihil absurdi, aut inconuenientis continere deprehenditur, quod non longe fortius alteri cuiuscunque sententiæ accidat. Formo argumentum: Omne peccatum, cui conueniunt omnes peccati proprie accepti conditiones, & proprietates, & ex quo nulla sequuntur absurda, quæ non alijs sententijs accidant: illud est peccatum originale. At illi peccato Adami conueniunt illæ omnes conditiones & proprietates: nihilque ex eo sequitur absurdi, quod ex alijs: Ergo id peccatum Adami, est peccatum originale. Probatur assumptum; quia de conditionibus & proprietatibus. Prima conditio: Actus inobedientie: at id peccatum, fuit actus inobedientie. Secunda: Actus voluntatis. Et id peccatum fuit actus voluntatis. Tertia: Quia caueri & euitari potest. Et illud peccatum potuit caueri, & euitari. Quarta: Vt non sit pena, & illud peccatum non fuit pena, sed tantum culpa. Quinta, vt sit commune omnium: & hoc peccatum non tantum personale fuit Adamo, sed etiam factum commune omnium; quia totam naturam læserit.

IV. Respondeo. Primo maiorem non esse veram. Nam si omne peccatum, cui conueniunt omnes conditiones peccati, esset peccatum originale: Ergo omnia peccata, nullo excepto, essent originalia. Itaque videtur postea Salmeroni vitium argumentationis suboluisse; atque addita quinta conditio; quæ non est peccati, quæ peccatum, sed peccati, quæ originale. Ceterum, maior debuit concipere omnes proprietates peccati originalis: quas nos negamus inueniri posse in illo Adami peccato: sed tantum omnes conditiones peccati actualis.

V. Iam de conditionibus sigillatim. Actus est, inquit. Atqui hoc non erat positum: sed tantum, Actus esse. Longè autem ista differunt; vt quid sit actus: & sit actus. Esse actum id dicitur, quod reapse tunc existit; & non potentia tantum: quomodo actus existit candor in pariete: etiam si candor non sit actus variatis. Actus autem hoc in loco à Salmerone intelligitur actio, vt eius ligni vetiti: vt cædes Abelis, incastus Absalomis, & similia. At hæc conditio non est peccati; quatenus peccatum est; sed quatenus actuale. Quod tamen ab originali distinctum est apud Catholicos. Illa autem conditio, nempe, vt sit actus, non conuenit peccato Adami: quod quia fuit, ideo nunc non est, ac proinde non est actus.

VI. Secunda conditio, Actus voluntatis. Rursus; neque hoc positum erat, sed vt peccatum esset actus, & voluntarium. Atqui non idem sunt; esse actus, & voluntarium, & esse actum voluntatis. Nam actus voluntatis est à voluntate tanquam causa efficiente. Atqui non id tantum voluntarium dicitur, sed etiam id quod est in voluntate, tanquam in subiecto. Et sic Thom. 1. 2. q. 74. disputat voluntatem esse subiectum peccati, & quæstionis octogesima tertie articulo tertio, originalis peccati subiectum esse voluntatem per prius, quam alias animi potentias. Et sic nos peccatum originale dicimus esse voluntarium. Præterea tum peccatum dicitur esse voluntarium, intelligendū est, de voluntate eius, cuius peccatum esse dicitur. At hoc certè sensu non potest dici in nobis peccatum illud Adami esse voluntarium, multo minus actus nostræ voluntatis. Neque enim est in nostra voluntate, neque à nostra voluntate; quia re ipsa nostra voluntas nunquam fuit voluntas Adami.

VII. Tertia conditio, vt potuerit vitari. Imo hæc conditio non est peccati, quæ peccatum: sed qua actuale. Nam originale ab ijs vitari non potest in quibus est originale; puta a pueris. Et sensus communis dicitur, non aliter intelligendum; peccatum posse vitari; quam ita vt possit vitari ab eo, cuius peccatum esse dicitur.

VIII. Quarta conditio, vt non sit pœna. At hæc falsâ est: neque ita erat posita: sed vt non sit tantum pœna: siue, vt loquebatur Salmero, vt non habeat tantum rationem pœnæ. Hoc autem est in peccato originali: nam et si sit pœna primi peccati, qua de re postea dicemus: tamen non tantum est pœna; sed etiam reuera peccatum. At illud peccatum Adami, neque fuit peccati pœna; neque habet in nobis peccati rationem, sed tantum in Adamo: Quo ad nos autem est tantum causa nostri peccati: quia eo peccato constituti fuimus peccatores, vt Paulus loquitur.

IX. Quinta conditio, vt peccatum originale sit omnibus commune. Distinguo, vt peccatum sit idem vel specie, vel numero. Et dico, nullum peccatum vnum numero posse esse commune omnibus hominibus. Nam peccatum, vel qualitas est, vel actio. Qualitas, vt peccatum originale. Actio, vt peccatum quodlibet actuale. At nulla qualitas, vna eademque numero potest pluribus subiectis communicari: vt candor qui est in niue, idem numero non potest esse in cygno, aut lana. Actiones autem sunt suppositorum. Quare idem homicidium à Caino paratum, non potest esse à Lanecho. Itaque nego peccatum illud Adami esse peccatum Originale. Non enim potest omnibus esse commune, siue numero, quia est actio: siue specie, quia est individuus actus.

X. At qui totam naturam læsit, inquit Salmero: itaq; factum est commune omnium. Nego consequentiam. Læsis ipsa facta est cõmunis: at non causa læsionis. Sic, si domus vna conflaret, vt sæpe fit, ob segnitiam Domini, indeq; vicinæ domus: erit quidem incendium commune: at segnitias tota illius Domini, non reliquorum: non est enim segnitias ipsa incendium, sed tantum causa incendij, quod ad reliquos peruenit. Sic, qui miles excubias agit negligenter, nocet ille quidem toti exercitui: sed non fuit tamen totus exercitus legnis. Sic, Neronis crudelitas Romanis nocuit: nec Romani tamen crudeles. Sexcenta sunt huiusmodi.

XI. Et hæc tenus quidem de conditionibus. Verû de absurditatibus, quas etiam complectebatur argumentum, cur ne verbum quidem Salmero? An quia desperant? Certè hæc pars non minus falsâ. Nã primo, omne peccatum verè peccati, eius est actu cuius dicitur. At actio illa Adami, vt antè dixi, non amplius est actus. Non est igitur peccatum: ac proinde neq; peccatum originale. Secundo, peccatum originale, vnum idemque specie est commune omnibus hominibus. At hic actus Adami, non potest esse vnus specie: ac proinde neq; ea ratione communis omnibus. Itaq;, ne peccatum quidem originale potest esse. Tertio, omne peccatum vel qualitas est, vel actio, vt diximus, eius cuius dicitur peccatum. At hic actus Adami, neq; qualitas est nostra, nam ne est quidem: ac proinde non potest esse qualitas: tum actio, qualitasq; longe differunt: neq; est etiam actus noster: quia idem numero actus non est vniuersum suppositorum. Ergo is actus Adami non est nostrum peccatum: nedum sit nostrum originale. At hæc absurda non accidunt Catholicorum sententiæ: contra quam Salmero opinatur.

XII. Transco ad secundum argumentum, ex quinto ad Romanos: vnde se probaturum putat, illud Adæ actuale, esse nostrum originale. Per vnum hominem (inquit Paulus) peccatum in mundum introiit. Et per peccatum mors. Hinc illi gemina argutio. Primum: Omne per quod mors introiit in mundum, est peccatum originale. At per illud Adæ peccatû, mors introiit in mundum: Ergo illud Adæ peccatum, est peccatum nostrum originale. Altera: Ex ipsâ verbis constat mortem intelligendam non corporis tantum, sed etiam animæ. Est autem mors animæ, priuatio gratiæ diuinæ, & originalis illius iustitiæ. Hoc stante, liquidum est, quod carentia illius iustitiæ, est pœna peccati originalis: non ergo ipsa illa carentia, peccatum est: cum hæc sit potius effectus, & pœna illius peccati, quod intrauit in mundum: vt manifestum sit, aliud esse peccatum originale, vnde venit priuatio gratiæ & iustitiæ: aliud ipsam iustitiæ & gratiæ priuationem. Argumentum est informæ: & inuolutum. Ego ita euouio, & formo: Nulla pœna peccati, est peccatum originale: At carentia iustitiæ est pœna peccati: Ergo carentia iustitiæ, non est peccatum originale.

XIII. Respondeo ad prius. Negari maiorem. Nam oportuit mortem introire in mundum per aliquod peccatum actuale. Alioquin vel progressus esset in infinitum, vel Deus esset propria causa mortis. Homo enim à se habet tantû suos actus: nõ vero naturæ suæ qualitates. Præterea in verbis Pauli, quid quæso Adamum intelligis? An ipsam primi hominis personam? At qui ea peccatum dici non potest: quum tamen vere dicatur per eam personam ingressum esse peccatum. An vero Adami peccatum? Eleganter. Quasi dixisset Paulus, per peccatum Adami, peccatum introiit in mundum. Quod si esset: ergo illud Adami peccatum non esset peccatum originale: alioquin oportuisset dictum, non peccatum per Adamum introiisse: sed ipsum potius Adamum. At non ita Paulus: sed diserit, per Adamum peccatum esse ingressum: distinguens Adamum à peccato ingresso. Quod si Adamus sit peccatum Adami & peccatum ingressum sit peccatum originale: omnino necesse est aliud esse peccatum Adami, & peccatum originale.

XIV. Quinetiam vrget circumstantia: Non enim peccatum solum dicitur ingressum: sed etiam mors. Quæ autem mors ingressa? Non certè illa tantû, quæ numero vna fuit Adami, hæc morte morientis: sed etiam illa in omnes posteros Adami multiplicata: vt esset singulorum mors, numero alia à morte Adami: quamuis specie eadem. Cur non ergo similiter dicamus de peccato? Theodoretus, Ad omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccarunt: Nõ enim propter primiparentis peccatum: sed propter suum vnusquisque mortis decretum suscepit. Thomas, Propter hoc est vnum tantum originale peccatum: quia solus defectus consequens primum peccatum, originaliter deriuatur ad posteros.

XV. Ad secundum. Negatur maior: Nam peccata esse posse aliorû peccatorû pœnas, alias notatum. Sed hoc tantum sensu vera esset, si diceret, nihil esse sui ipsius pœnam: quia pœna necessaria præsupponit præcedentem culpam: vnde fit, vt peccatû originale non possit esse nobis pœna vllius peccati nostri: cum à nullo peccato nostro procedere poruerit. Quomodo igitur? Nempe est in nobis pœna peccati Adami: iuxta illud Exodi 20. Visitas iniquitatem parentum in filios. At, inquit, carentia iustitiæ est pœna peccati ori-

ginalis. Hoc vero falsum. Nam pœna peccati Adami in nobis autem est duntaxat peccatum. Vt in illud quidem, esse pœnam peccati quod intrauit in mundum: sed si ta. nen intelligas illud ipsum primum numero peccatum, quod fuit in mundo. At hoc non est peccatum originale: quod vnum est specie, non numero.

XVI. Tertium argumentum: Illud dicitur esse meum peccatum originale, & me illud perpetrasse, per quod ego vere peccator constitutor. At per illam Adæ inobedientiam peccatores omnes constituti sumus, vt ait Apostolus: Ergo peccatum illius inobedientiæ, est meum originale.

XVII. Respondeo distinguendo: Constitui enim nos peccatores vel formaliter, vel causaliter. Id autem nos formaliter peccatores constituere, quod in nobis ipsis inest tanquam qualitas peccatrix: vt albus paries formaliter constituitur, per albedinem ipsi inherentem. Et podagricus quispiam, per habitum illum podagricum ipsius articulis inest. Hoc sensu conceditur maior: sed negatur minor. Nam peccatum illud Adami, nos non efficit formaliter peccatores: non enim potest, cum sit prorsus extra nos. Iam vero causaliter peccatores constituimur, per id quod est causa efficiens qualitatis illius peccatrix: quæ nobis hæret: sicut podagrici causa est parens podagricus: siue podagra in parente: quæ tamen non est podagra filij. Hoc sensu, conceditur minor: sed negatur maior. Non id tantum dicendum est peccatum nostrum originale, per quod formaliter constituimur peccatores: quomodo illud peccatum nostrum actuale, per quod dicimur actualiter peccatores. Non est autem formaliter Idololatra; Idololatræ filius, propter Idololatriam patris, et si causaliter: quia sic educatus à patre.

XVIII. Quartum argumentum: Quodecunque peccatum nobis nocet, id nostrum esse debet: At peccatum illud Adami, nobis nocuit. Ergo peccatum illud Adami, nostrum est.

XIX. Negatur maior. Nam, vt dixi, nocet filijs egenis, non sua, sed patris prodigalitas: nocet vicinis, non sua, sed vnus indigentia: quæ causam dedit incendio. Denique, si hæc maior esset vera, iniquus esset Deus, qui tam disertè testatur visitari iniquitates patrum in filios. Nisi forte rursus distinguimus, nocere nobis aliquid causaliter, vel formaliter. Illo modo, id à quo oritur, quicquid id est detrimenti, quod patimur: atque hoc nihil necesse esse nostrum. Isto autem, quod ipsum est in nobis detrimentosum. Atq; hoc necesse esse reuera nostrum. Iam illo modo nocuit nobis Adami peccatum: hoc vero nocet nobis nostrum originale.

XX. Quintum argumentum: Adam habuit peccatum originale, vel non habuit: Si non habuit, ergo non transfuit ab eo in reliquos homines. Si autem habuit, quodaam id fuit, nisi illud actuale?

XXI. Respondeo, peccatum originale reapse fuisse in Adamo: sed alia ratione, quam in nobis. Nam in nobis originale dicitur, quia est ab ipsa nostra origine, quam ducimus à parentibus, imo ab Adamo. At Adamus non tantum originem nullam habuit à parentibus: sed etiam ab ea origine quam habuit à conditore suo, expers erat omnium peccati. Id ipsum tamen quod in nobis est peccatum originale, Adamum inuasisit, cum primum ausus est desciscere à Deo. Areopagita, Ecclesiastica Hierarchia c. 3. p. 3. τὴν ἀνθρώπινην φύσιν ἀρχῆθεν ἔστω τῶν θείων ἀγαθῶν ἀποήτης ἐξελιθῆσθαι, ἢ ποδὸν ἡμετέραν ζωὴν ἀδύναται, καὶ τὸ τῷ φθάρῳ ποιεῖν ἑαυτὸν πῆγος, ἀκολούθως γὰρ ἡ τῆς ἰσότητος ἐκ τῆς ἀρχῆς ἡμετέρας ὑπερβασία, τὸ ἐξοικισθῆναι τῷ ζωοποιῷ ζῴῳ τῆς εὐκλείας ἰσοπείας καὶ θεολογίας τῷ ἐν αὐτῷ καὶ ὑπομένειν ἀπείρους, τοῖς ἐπισημοῖς τῶν θείων ἀγαθῶν τῷ φθάρῳ δύνανται. Humanam naturam à diuinis bonis dementer auersam, multis miserijs obnoxia vita exceperit, imo & mortis terminus. Consequens enim erat, vt defectio ab eo bono, quod vere bonum est, & transgressio legis viuificæ in paradiso lata, eum, qui adeo impotenter viuificum excussit ingum suis mortibus, illicet: sique ac impijs fallacijs traderet iis qua contraria sunt diuinis bonis. Sed diserit Macarius, hom. 12. Adam transgressus mandatum, duobus modis porijt: vna ἢ ἂν ἀπὸ αὐτοῦ τὴν κτῆμα τὴν καθ' ἑαυτὸν φύσιν ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ, τὸ κατὰ εὐκλείαν καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ ἐπιεργῆς, ἢ ἂν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τῶν εὐκλείων ἐκ τῆς ἀπείρας τῶν ἀγαθῶν καὶ ἰπτα γρηγοῖ ἢ ἐργασίῃ παρὰ κληρονομία. ὡς ἔστιν ἡ νόμιμα τῶν ἐκ τῆς βασιλείας ἔργων, καὶ ἡ ἀρχὴ καὶ ἡ χρυσὸς τῆ ἀπώλει τῆς ἑκείνης χερσὶ μόνου. Vno quidem, quod perdidit possessionem puram naturæ suæ, speciosam, & secundum imaginem & similitudinem Dei conditam: altero vero, quod perdidit ipsam imaginem, in qua reposita ei erat iuxta promissionem, tota hereditas cœlestis. Perinde ac si sit moneta imagine Regis insignita, que adulteretur: non aurum solum perit, sed imago etiam nullius est pretij. Idem hom. 20. οὗτος ἰμπόδιστος ὁ χθρὸς ἐστὶ τῆς τῆς ἁ θάου τῶν ἀγαθῶν, ὡς τε καὶ μὴ ποσὶ καὶ ἰσοπείας τῶν ἀνθρώπων, τῆς ἡμετέρας, τῆς ἐργασίης τῆς Θεοῦ. Διὲ βλεψαὶ λοιπὸν οἱ ἀσθενεῖς καὶ αὐτῶν εἰς τὸ κακὰ, καὶ πῶς παθῶν, ὅσοι καὶ δύνανται τῶν ἰπτα γρηγοῖ ἢ ἀγαθῶν. Tantam operam ac diligentiam adhibuit hostis in Adæ transgressione, vt vulneraret, ac tenebris offunderet interiorem hominem, mentem nimirum ducem, que Deum intuebatur. Conuersi sunt postmodum oculi eius ad vitam & passionem, à bonis cœlestibus excelsi. Hæc illi: quibus addi possunt alia plurima: vnde constat eundem illum peccati originalis morbum, id est, illam à bono auersionem in Adamo fuisse, quæ est in eius posteris. Itaque, recte responderi posse ad argumentum, Adamum habuisse in se peccatum originale: non quidem hoc sensu, vt ipse ad habuerit à sua origine, vt nos; sed quod idem.

XXII. Sed, fuit ergo, inquit Salmero, peccatû illud actuale. Hoc vero, inquam, negatur: fuit. in. potius actualis illius pœna. Quomodo in eo qui prius sua ἀκαρῆς podagram meruit, non fuit tantum illa siue victus, siue laboris intemperantia, quæ humorē illum excitauit: sed fuit etiam humor ille sic excitatus, qui residens in articulis, habitum illum fecit podagricum, qui idem fuit specie cum eo, qui in posteros propagatus est: et si alioquin ille nõ habuerit ab origine; sed à propria intemperie. Quomodo etiam Adam factus est mortalis: quia, ex quo peccauit, soluta est illa humorum harmonia, quæ fuisset perpetua: eumque perpetuo vegetum conseruasset. Quæ ἀποκαταστασις est in eius posteris continuata, quamquam origine mortalibus.

XXIII. Sextum argumentum: Si carentia iustitiæ originalis habet rationem peccati & culpæ imputabilis, hoc habet propter peccatum Adam: nam propter illud hoc est mihi imputabile: & magis peccatum, iuxta regulam topicam, propter quod vnum quodque tale, & ipsum magis tale.

XXIV. Exserpsi verba: sed mentem vix capio: & argumenti vim nullam video, imo ne formam quidem: nihil enim inferitur, nihil concluditur. Peccata tamen obserua. Quid illud est, propter peccatum Adami imputari nobis carentiam iustitiæ? Hoc vero Oedipus intelligat. Nam primo, cur impu-

Witt, que in
ad, que pe
pionimus
peccati, & cu
noda carenti
timatio ad m
tentia leuitat
regula. Quen
patrem, tanq
male illud no
dam, quam
strum ori

c. Joannes
II. Sed nec
Delphinus d
Lindanus Pa
tenuis de L
gratia, i. t. c.
tom. lib. 1. Jo
Castro lib. 9.
si doctor, de
ratione. Fra
paradox. 48
Epistolis De
uentia princ
ni tractatu
toms, Inlib
III. Por
ta distictio
nem alius
posterior de
IV. In pr
Voluntatem
contradictio
aliter nulli
fici, suo qu
gabuntur
qui recedit
solum, sed
Ibo. Sedi
ctioe oppo
cti, eadem
vnum idem
ae. Quin
quæ ferunt
Quam fit
si hæc, vt q
emph grat
mendo. V
lucit: qu
necessarij
quæcunq;
motus pri
cedit. Iho
in secreto
V. Ii erg
deq; eius
tus in obis
proxime
tas nisi a fo
ac proinde
de Volunt
do mouet
voluntate
fic mouet
VI. Hu
tomo secu
luntas sub
Deus tam
minat ad
in quibus
tem: seru
VII. Ra
se possunt
Dau dis

